

libras mille venetorum paruorum et hoc pro factu primi anni insule Solte, non obstante confessione ipsorum facta hodie per Crestolum Petri Petri Papalis syndicu[m] communis de receptione ipsarum mille librarum, quas mille libras predicti Madius et Johannes promiserunt dare et soluere dictis Duimo et Theodosio in termino in quo ipsi predictas mille libras dare tenebantur comuni supradicto.

XXV

1359, 15 luglio.

IV, III, 40/52.

(*Protocollo c. s.*): Die XV iulii. In pleno et generali consilio ciuitatis Spaleti ad sonum campane et uocem preconis in palacio ipsius communis ad infrascripta, ut moris est, specialiter congregato, egregius et nobilis uir dominus Ladislauus uicarius Spalatensis, cum consilio et uoluntate iudicu[m] et consiliariorum, ac totius generalis consilii predicti et ipsum consilium totum nemine discordante, uice et nomine communis et hominum dicte ciuitatis, fecerunt, constituerunt et ordinauerunt sapientes et discretos uiros ser Franciscum Damiani et ser Duimum Bratini, ibidem presentes et uolentes, eorum et dicti communis ueros syndicos et procuratores, actores, factores, negotiorum gestores et eorum ueros nuncios speciales, specialiter in causa seu causis quam uel quas ipsum comune Spaleti habet uel habere potest cum Comolo Francisci, quacumque ratione uel causa, coram reuerendissimo in Christo patre et domino domino Stephano dei gratia episcopo Nitriensi, magistro sacre theologie, et domino Johanne de Brendesech iuris ciuilis professore, delegatis serenissimi principis domini Lodouici dei gratia regis Hungarie. Actum ut supra.

Actum in palacio communis, presentibus ser Cutio Buchamaioris et domino Phylippo presbitero notario domini uicarii et Marino Staxioli testibus et aliis, et Marino Laurencii examinatore.

Die predicto, loco, testibus et examinatore predictis. In pleno etc. ut supra. Idem dominus Ladislauus uicarius modo supradicto fecit, constituit et ordinauit Srechiam Lucari et Johannem Peruosclaui, ibidem presentes et recipientes, suos ueros et legitimos procuratores, syndicos et nuncios speciales, specialiter in questione, quam comune Spaleti habet cum comune Ragusii, nomine Siue Sauini de Ragusio, uel cum ipso Siue, quacumque ratione uel causa, ad agendum, defendendum, petendum, respondendum et placitandum, libellum dandum, petendum et recipiendum et respondendum, aduocatos conducendum, terminum et dilationes petendum et recipiendum et dari faciendum, paciscendum, transigendum et concordandum et ad com-